

2372 Adriae ANT.; ad S. Stephani FERRETUS; in curte Francisci Cacellati MECENATE. Ex Adria, ubi pro portae limine erat, translata Rovigium in museum Silvestri CAM. SILVESTRI. Ibidem adhuc. — Inter Veronenses RED. et inde Coloniolae PANVIN.; inter Mediolanenses LILIUS.

L · VIRIVS VICT
OR

Contuli. Habent Cyriacani Felicianus Adr. 8; Marcanova Mut. f. 179' Adr. 4; Ferrarinus cod. Trai. f. 54, cod. Reg. Adr. 6; Redianus f. 72 inter Veronenses n. 141c, ubi confunditur cum titulis n. 2332. 2364 (inde in adn. ad Grut. 995, 2 ed. 2); Gammarius f. 112 Cyriacum laudans; Lilius f. 11'; Panvinius ant. Ver. p. 237 (inde Grut. 926, 11 per Scultetum). Denuo ex lapide Ferretus (1540) f. 118'; Suaresius cod. Vat. 9140 f. 293'. 294'; Cam. Silvestri *Givenale* p. 66; Car. Silvestri *paludi* p. 120 et in descr. musei ms.; Ios. Bocchi in schedis Tarvisanis; Devit p. 55 n. 49.

Vv. ex antiquis recte divisit Gammarius.

2373 Adriae in museo Bocchi.

IVS
VRBAIVS sic

Descripsi.

2374—2377 Adriae in museo Bocchi.

2374 LIVS
M

2375 AN
IMA

2376 IVS
CAM

2377 RIA
IH//

Descripsi.

2378 Adriae PRIORES. in taberna Natalini Donà, quae fuit Stephani Bocchi DEVIT.

IN·F·P·CXX
INTROR
P·XXC

Mecenate ms. (inde Oct. Bocchi ms. et apud Mur. 1773, 15); Suaresius cod. Vat. 9140 f. 293'. 294'; Campanella 2, 68; Devit p. 93 adhibito apographo servato in museo Bocchiano mihi non viso.

1 CX apogr. mus. Bocchiani. — 2 sic Mur. Camp., IN...R Suar., I...R apogr. mus. Bocchiani. — 3 XC idem exemplum.

2379 inter Adrianas.

IH
IN·F·P·XXV
RET·P·XXX

Ios. Bocchi in schedis Tarvisanis.

XXXI. Ferrara cum agro.

Ager Ferrariensis qui nunc est antiquo tempore occupabatur fere ostiis Padi amnis, quorum antiquam condicionem explicare nec mei officii est neque huius loci; quoniam tamen inter septem maria, quae prope Atriam fuisse supra p. 221 vidimus, et Ravennam numeret Plinius h. n. 3, 16, 119 a Ravenna incipiens, ipsius verbis adscripsi: *Augusta fossa Ravennam trahitur, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicus appellatus. Proximum inde ostium magnitudinem portus habet qui Vatreni dicitur, qua Claudius Caesar e Britannia triumphans praegrandi illa domo verius quam nave intravit Hadriam. Hoc ante Eridanum ostium dictum est, ab aliis Spineticum ab urbe Spina... Auger ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocorneliensi agro. Proximum inde ostium Caprasiae: dein Sagis: dein Volanae quod ante Olanae (eolane Lugd.) vocabatur: omnia ea fossa Flavia; quam primi a Sagi fecere Tusci, egesto amnis impetu per transversum in Hadrianorum paludes quae septem maria appellantur.* Subiunxi itinerarium quod unum superest ad has partes pertinens Peutingeranum: *Ravenna — VI — Butrio — VI — Augusta — XII — Sacis ad Padum — III — Neroma — ... — Corniculani — VI — Radriani* (puto scr. *Atria*, v. p. 221) — VI — VII maria. Ex his praeterea Butrium commemoratur apud Strabonem 5, 1, 7, ubi dicitur vicus (πόλις) Ravennatum (cf. Steph. Byz. s. v.; Plinius 3, 15, 115; Ptolemaeus 3, 1, 31 qui male tribuit Cenomanis), Olana autem apud Polybium 2, 16: *σχίζεται (Padus amnis) εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσταγορευμένους Τριγαβόλους· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα* (quam formam recte asseruit Hauptius quaest. Catull. p. 97 adhibito epigrammate Catulliano 95), τὸ δ' ἕτερον Ὀλανα· κείται δ' ἐπὶ τούτῳ λιμνὴ οὐδεὶς τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν ἕτερον παρεχόμενος ἀσφάλειαν τοῖς ἐν αὐτῇ καθαρμιζομένοις. Cum haec regio antiquo tempore mari vel certe aestuariis occupata fuisse videatur, vicos ibi non fuisse nisi raros et exiguos et tamquam in insulis collocatos consentaneum est; quae autem supra posuimus nomina quo pertineant nemo adhuc satis explicavit. Nam ad ipsam Ferrariam quod attinet, somnia sunt quae de Trigabolorum nomine obscuro ad eam referendo multi disputarunt, aegri autem somnia quae similia proponuntur de Foro Allieni. Id enim memoratum apud unum Tacitum (hist. 3, 6) quamquam situs incerti est, tamen satis intellegitur et in ripa fluvii cuiusdam fuisse et medium inter Hostiliam occupatam a Vitellianis (hist. 2, 100) et Patavium, unde ad illud occupandum Flaviani profecti sunt, itaque probabiliter collocabitur ad Athesin prope Legnagum.

Epigraphiae partem nullam novi implicatiorem et difficiliorem quam Ferrariensem; nam quae sunt tria maxima vitia, malae artes falsariorum

et translatio genuinorum titulorum et antiqui status ignoratio, ea hic omnia ita concurrunt, ut quomodo inde te expedias non facile reperitur. Et de fraudibus Ligorii Baruffaldique infra videbimus, qui cum domicilium uterque haberet Ferrariarum, ita in his rem instituerunt, ut quae ab iis proferuntur, nequaquam debeant simpliciter reici, cum multa insint propria et bona. Item infra agetur de titulis cum ex urbe tum aliunde, maxime ex Pisauro et ex Ferrariensi provincia diversis temporibus advectis Ferrariam; quos ut separaremus, puto satis nobis successisse. Confinia ita ordinavimus, ut quae sunt infra Padum eum q. d. *Po di Primaro*, omnia ommitterentur, id est Ravennam versus tituli reperti in vicis oppidisve Bagnacavallo, Lugo, Cotignola, Bononiam Mutinamve versus reperti Budrii ad Idicem (quem vicum ne confunde cum Butrio antiquo ad Ravennam) et Centi vel ad Centum. Etiam Argentae, qui vicus est ad ipsum Primarum, eruderati tituli rectius prodibunt cum Ravennatibus, cum et sit inter eos militis classarii et pauca inde prolata omnino cum Ravennatibus magis coniuncta sint quam cum Ferrariensibus. Ita remanserunt hoc loco edendi qui tituli inventi sunt inter Padum hodie primarium (*Po grande*) et Primarum, nempe Comacchii, item Pomposae et ad Pomposam Codigori et Ariani, deinde Ferrariarum et supra eam Vigarani et Coppari, maxime autem in agro q. d. *Polesine di S. Giorgio*, ubi satis magno numero eruderantur, nempe in vicis S. Vitalis (inter Migliarum et Migliarinum), Ostellato, S. Viti, Maiero, Porto Maggiore et iuxta eum S. Margaritae, Voghenzae, Gambolagi, Voghierae cum Belriguardo, Monte Santo, Gaibanae, S. Aegidii, S. Georgii, Quartesanae, Codreae, Contrapò. De his regionibus recte disputat Baruffaldius *raccolta del Calogerà* 6, 505) sic: *Tutte codeste antichità, inquit, furono dissepolti specialmente nel Polesine di S. Giorgio, ch'è perciò detto Terreno vecchio, e nelle vicinanze dell' antica Voghenza fra le due lingue del Pò, il meditullio de' quali due rami, che guida alli due porti di Volana e di Primaro, è seminato di moltissime iscrizioni antiche, d'urne, di sigilli, di medaglie, d'idoletti, di lucerne sepolcrali e d'altre simili cose, sino che s'arriva all' antichissima città di Comacchio. Ma di quà del Pò, dove presentemente è situata la città di Ferrara, sebbene qualche memoria è stata altre volte dissotterrata, non è stata cosa di rilievo, e sempre il sito è stato sulla vecchia arginatura del Pò, e non mai dov' erano le paludi e i gorgi delle sortive vicine al medesimo fiume.* Adde formulam tituli n. 2402 graphice depingentem harum partium condicionem antiquam: *viatores et velatores salvete.* Ceterum fines regere inter territoria Ravennas et Atrias, id est inter regiones Italiae octavam atque decimam non